

~~Ed. 236~~

1) Liber, P.

notat 2) - 15)

EL 236

(3) = HF

6  
P H O E N I X.  
P E L I C A N V S.  
T R I V M P H V S.  
I C H N E V M O N:

S A C R A Q V Æ D A M  
M I C H. H A S L O B I I  
*Berl. M. Carmina.*



FRANCOF. MARCHIONVM:  
*Anno 1577. edita.*

*L. Johann Eichorn d. 47*

michael Haslob [Teils.]

**MAGNIFICO CLA-**  
**RISSIMOQ; VIRO, SAPI-**  
**ENTIA VIRTUTE QVE ET DIGNITA-**  
te atq; autoritate præstantissimo Dn. Lam-  
berto Distelmeierio, I. V. Doctori, &  
Marchiæ Archicancellario, Do-  
mino suo colendissimo.

S. D. P.



*Va facies Verni solito formosior anni?  
Cur, liquido volitans æthere, gaudet avis?  
Pictius est coelum radijs: & terra refundit  
Molliculas, riguis imbribus. vda, rosas.  
Causa subest: nuper CHRISTI plorantia mortem,  
Seposito ducunt gaudia læta metu,  
Quod validis nostros superavit viribus hostes,  
Cordibus & moestis Pax reparata fuit.  
Quæ, licet interdum, morbis tentata, querantur,  
Orbe sub hoc felix vt solet esse nihil:  
Ipsa tamen vincunt, sæuis maiora periclis,  
Victor vt inferno CHRISTVS in orbe fuit.  
Hunc cano: victrices audi, LAMBERTE, canentem:  
A populo rabiem quæ pepulere, manus.  
Quod precor, eueniet. Nec enim tibi nostra pudori  
Musa sub Arctoi Principis vrbe fuit.  
Sic redamas humiles animas, & candida vatum  
Pectora, laudato magnificoq; loco.  
Hic igitur fermè grauius nil cogito mecum,  
Quàm meritis pangam carmina digna tuis.  
Ocia sed caussor teneros promentia versus:  
Ergò per ærumnas conticuisse velim?*

Qui

Qui minus est firmus, neq; torquet viribus hastam  
Instruit imbelles quolibet ense manus,  
Ac tua sic alios clarissima gloria vincit,  
Exuperat reliquas vt Iouis ales aues.  
Metior ingenij vires, cogorq; fateri,  
Eloquium curis procubuisse meis.  
Quid tamen incipiam primum? celeberrima virtus  
Inuenit, vt crescat laudibus ampla, locum.  
Iusticie clarum studijs cum duxit in aulam,  
Protinus officijs est adamata tuis.  
Solis & vt radijs flammantibus arua fouentur  
Si fuerit florens imbre rigata seges:  
Marchia sic recti genetrice & sedula nutrice  
Iudicio creuit consilioq; tuo.  
Tempore quam meriti tangent obliuia summa  
Immemor imperij cum volet esse sui.  
Quid loquar? in caelis fidum laudabit amorem:  
Sic super eximij fama laboris erit.  
Odera sed referet grates, vt pace fruamur,  
Quod patrocinio nostra Lycea iuuas.  
Ecce tuae virtutis honos & nominis haeres  
Intuitu canos alloquioq; leuat.  
Ingenium cuius doctrina diuite clarum,  
Non impar grauium laudibus esse velit.  
Viuat: & attribuunt letam tibi Fata senectam,  
Sospite quo Viadri gloria sospes erit.  
Et cape nunc munus paruum: felicibus annis  
Vsus, inexcultis splendidiora dabo.  
Quiq; DEVM, patriaeq; Ducem laudare parauit,  
Et patriam, dignos & celebrare viros,  
Si poterit vestrum genus hanc perferre Camoenam,  
Quae tenui serpit carmine, vester ero.

Mich. Haslobius M.

# PHOENIX SEV Christus crucifixus.

**T**E quoq; dū Vernus tepor arua resoluit et herbas  
Carminibus, Phœnix, commemorabo meis,  
Tempore quo gaudent volucres, ramosq; reuisunt,  
Mitius & canas Odera voluit aquas.  
Nec tamē hoc frustra, Sed enim nunc omnia gaudent  
Est noua quod nobis vere coörta salus.  
Alma salus mor su pomi sublata, sed illam  
Quam bonitas retulit, nos miserata, Dei.  
Quid verò referam volucrum rarissime primum?  
An generis dicam quæ sit origo tui?  
Siue reuicturus quod edacem fusus in ignem  
Pulchrior ex flamma post tua fata redis?  
An volucris generosa canam quod imagine quadam  
Altius humanis sensibus omen habes?  
Singula deposcunt valitura robora Musæ:  
Sed tamen in magnis est voluisse satis.  
Ergò faue, succumq; tuum, quo vesceris, offer:  
Affer & hos ramos qui tibi busta parant.  
Sic tibi sis proles, pater & pronecte iuuentam:  
Sic redeat semper funere vita tuo.  
Est locus, Assyriam rerum dixere periti  
Qua niger Eoos conspicit Indus equos.

Tigris

Tigris ab occasu iacet : at te Media spectat  
Quem vehit & ducit turbinis aura, Notus.  
Caucaseos cernit montes & regna Boötes :  
Pars alio Syria nomine dicta fuit.  
Rosidus Auroram linquens vbi gramine pictam  
Purpureo Phæbus lumine vestit humum.  
Unicus Assyriæ volucer dominaris in oris :  
Hæc quoq; laus magni ponderis instar habet.  
Effulgens Diadema tuis in crinibus, illud  
Non secus ac auro quod nitet omne, nitet.  
Purpureus decorat corpus color, inficit alas,  
Ceus rosa, quæ viuo sanguine tincta rubet.  
Obuius haud altis velit ire volatibus ales  
Armiger, Idaeum qui vehit vngue, Iouis.  
Non ferus Accipiter tibi se, non Gryphes adæquent,  
Et quæcumq; via liberiore volant.  
At tibi non flores, quorum vulgatioꝝ vsus,  
Suppeditant inter roscida prata cibum.  
Te sed odoriferæ Panacææ sustinet esus,  
Succus & Ambrosiæ Nectareusq; liquor.  
Iamq; sat indultum vitæ fuit : ecce, sub igni  
Te senio lassum quantus es ipse, locas.  
Mæsta dolet Natura, dolet Sol aureus, atram  
Aspiciens mortis te celerare viam.  
Nec mora : tu positus calidis in odoribus ales  
Vixide, consumi totus ab igne cupis.

Consuluit mundo Natura potentior: annos  
Accipies, quotquot præteriére, tuos.  
Mira loquar: super accenso diuinitus igni  
Exuuijs positus igneus ales ades.  
Et loca nota petis regni: comitantur euntem  
Parte sub Eoa quæ sociantur, aues.  
Nec color est illis vnus, sed qualis in herbis  
Tempore vel verno floribus esse solet.  
Hæ circumuolitant bilares, plauduntq; frequentes:  
Tu verò reliquis altior ire paras.  
Donec odoratis animam sub floribus edas,  
Et tibi mors vitæ semina prima ferat.  
Assyriæ saluæ volucris pulcherrima terræ  
O auis ex tumbis facta beata tuis.  
Nunc mihi, secreti memor huius, sancta Sionis  
Vranie cultrix, dum cano, mitis ades.  
Sic tua perpetuis fument altaria flammis:  
Dic age quem Phœnix vnica signat auis.  
Hæc ego: tum cæli custos, arcisq; Sionis  
Plena DEI flatu, cuncta mouente, refert.  
Christus is est ales, Regum Rex maximus, autor  
Orbis, & huic orbi nobile quicquid inest.  
Is patrias sedes relinquens, è virgine natus  
Prodyt, hibernus cum premit arua rigor.  
Scilicet vt nostras animas inferret Olympo,  
Et fieret iusti mitior ira DEI.

Quas



Quas non ille vices, quos non tulit ille labores,  
Nemo licet magno maior in orbe foret?  
Iussa Dei mandantis erat, vocesq; professus  
Vincula cum saeuo passus ab hoste tulit,  
Spinea nectuntur diuinisserta capillis:  
Ab alio **CHRISTVS** munere dignus erat.  
Purpura velabat corpus, qua ductus ad aram  
Non secus ac quondam victima sacra, fuit.  
Tum super impositus ligno dator ille bonorum  
Reddidit expirans flamina sancta, **DEVS**.  
Indoluit Natura vicem, Phœbusq; remouit  
Lumina: nox, tenebris cinctâ, secuta fuit.  
Ponitur in tumulis, & odoribus ossa perunctus  
Transit ad infernas, tristia regna, domos.  
Quæq; merebantur mortem peccata perennem  
Sustulit, & sedes infera turba tuas.  
Et secum captas animas, primosq; parentes  
More triumphantis victor ad astra tulit.  
Sedis & æthereæ consortes viuere iussit,  
Quicquid & in cælis prosperitatis inest.  
O vbi cælestes æternum sentit odores  
Ambrosiæ diues facta caterua bonis.  
Omnipotens, æternus Amor quæ libat & offert  
Regia siderei quos capit aula poli.  
Aspiciunt illic Patrem, Natumq; verendum:  
Spiritus & multa pectora laude mouet.

Circum

Circumstant Proceres, & ouantes ora resoluunt  
In laudes, cælum qui regit omne, DEI.  
Iam mihi diuitiæ sordent & auara cupido:  
Non animum vitæ spes tenet vlla meum.  
Dexter ades summi Patris ô dulcissime Fili,  
Sedis vt optatæ possideamus opes.  
Ac vbi per mortem positi frigente sepulchro  
Nos rigida miseri mole tegemur humo,  
Nos reuoca tumulis clausos, tecumq̃ beatos  
Effice saluatos sanguine, Christe, tuo.  
Interea quicquid fuerit graue, quicquid & ægrum  
Lenius & leuius te Duce sponte feram.  
Qui tibi se dedunt nihil orbis gaudia curant:  
Dulce tibi credunt viuere, dulce mori.  
Progenies æterna DEI, mitissime rerum  
Altor, ab ægroto, qui potes, aufer onus.  
Ablue me roseo, stillantem pectore, succo:  
Da precor optatis flamina sancta meis.  
Vnica tu requies animæ, tu meta laborum.  
Te veniente die te fugiente canam.

PELL.

# PELICANVS

De meritis Christi Iesu, Dei & ho-  
minis.

**M**ane colorarat roseo Sol lumine terras  
Ad sacra festinans cum fero templa pedes,  
Dum vagor, & cupido collustro singula vultus  
Detinuit mentem pulcra tabella meam.  
Ut fatear, vidi nihil illa suauius: artis  
Tantus erat, mulcens corda videntis, honor.  
Stabat odoratis campus plenissimus herbis,  
Et varijs passim floribus auctus erat.  
Hos ego dum video cautus, mihi tincta veneno  
Cernitur herbofo vipera tecta solo.  
Nidus erat iuxta folijs ramisq; paratus,  
Ponere quo pariens oua solebat auis:  
Et super incumbens teneros excludere fœtus,  
Exclusosq; nouis pascere sueta cibus.  
Parte sed ex alia regio cernenda patebat:  
Ut reor, Ægypti terra salubris erat.  
Nilus inundabat, spacio longissimus, agros,  
Cum pluuijs tellus imbribus orba foret.  
Arua videbantur ditissima, quæq; per annum  
Bis segetem, magna fertilitate, dabant.  
Illas dum volucris tendit Pelicanus in oras  
Colligat ut pullis pabula grata suis,

B

Ecce

Ecce ruens virus natis implumibus affert  
Anguis, & infectos felle necare parat,  
Conspiciens genitrix occisæ funera prolis  
Tris queritur noctes, tris dolet agra dies.  
Transadigit tandem volucris præcordia rostro,  
Et recreat proprio sanguine rursus aues.  
Viribus amissis cruciatur mater, in agris  
Quærere ne gratos possit, ut ante, cibos.  
Ergò reuisentes benegrati proxima fœtus  
Rura, genitrici pascua nota legunt.  
Sunt quibus est studium matrem recreare iacentem,  
Dum lateri fecit vulnera cruda suo.  
Degeneres alij fugiunt, neq; præmia reddunt,  
Nec mala viuentis damna favore leuant.  
Hoc genitrix cernens vires iam nacta priores  
Fœtibus ob curam præmia certa refert.  
Fertur in ingratos fœtus, alisq; fatigat,  
Sed meritos rursus mater amica fouet.  
Hæc ita : cum dixi, tellus quas procreat, herbis  
Suauibus, & multis rebus inesse DEVM.  
Ille, replens cælos, loca se transfundit in orbis  
Omnia, factorem testificata suum.  
Ille, velut volucris, reddit nos sanguine viuos,  
Quos pomus mortis fecerat esse reos.  
Tunc vbi Serpentis sub imagine luserat Euam  
Hostis, & in mundum prima venena tulit.  
Ergo

Ergo DEI Soboles, nostros miserata dolores,  
Pectoribus figi vulnera passa fuit.  
Unde liquor fluxit, labem qui corporis aufert,  
Anguis & hostilis noxia damna fugat.  
Ecquod erit donum merito sublimius illo?  
Nec tamen ad grates nos bona tanta vocant.  
Pars hominum Christo peragit pro munere laudes:  
Pars hominum tenuit maxima dona Dei.  
Hinc adeò tantis hominum fortuna laborat  
Casibus, & sicut turbine mota, labat.  
Tu verò pie Nate DEI tibi protege cœtum,  
Qui meritum noscat concelebretq; tuum.  
Non tibi maculatæ pecudes, non thura petuntur:  
Vera sed, è cordis viribus orta, fides.  
Grataq; mortali magis est splendore voluntas:  
Hac homines, dicis CHRISTE, placere Deo.  
O bone Germanis ades, & defende rogantes,  
Ut properet, cœli regna datura, dies.  
Tunc tibi cœlicolas inter manesq; beatos  
Quo potero, grates pectore lætus agam.

B 2

TRI.

TRIVMPHVS CHRIS-  
TI IESV, DEI ET  
Hominis.

**N**unc ego post plagas, & acerba vulnera mortis  
Arma triumphantis, quo licet ore, canam.  
Tu mihi, seu, tandem casuro, prospicis orbi,  
Seu celer ad terras, Christe redibis, ades.  
Non opus hoc Phœbi: nec enim cœlestia nôrit  
Mystica, quæ Patris suggerit vnus Amor.  
Tempus erat, summi Soboles ter maxima Patris  
Quandò Palæstina virgine nata fuit.  
Sensaq; proponens iter expandentia cœli  
Attulit affectis crimine rursus opem.  
Irruit in Christum Furijs immanibus actus  
Multaq; perpeffum cogit, Apella, mori.  
Vnde, sepulturæ donatus honoribus, author  
Ætheris, est poni corpora passus humo.  
In tenebris dudum Proavi, manesq; gemebant:  
Omnibus his votum, finis vt esset, erat.  
Ergò reducendos tristi de carcere mortis  
Vult similes diuæ reddere mentis, auos.  
Nox erat, & tumuli custodes altus habebat  
Qui reficit curis corpora fessa, sopor.  
Vtq; coherceret socios diuina sequutos  
Iussa, locus denso milite septus erat.

Ecce

Ecce sua virtute Deus munita relinquit  
Vincula, cum turbæ regna silentis adit.  
Non ibi Sol lumen spargit, nec Luna nitorem,  
Sed comites vnâ stridor & error eunt.  
Innumeras animæ fundunt hinc inde querelas  
Cum redit in mentem vindicis ira DEI.  
Tunc cuperent nunquam cœli prodisse sub auras,  
Montis & impositi mole perennè tegi.  
Nec mora: saluificus loca pergit ad illa Redemptor:  
Ardua res illic perficienda fuit.  
Ex facie grauitas, ex ore nitebat honestas,  
Mens grauis, aspectus luce timendus, erat.  
Aureoli crines fulgebant sideris instar,  
Vergebat nitidam nimbus ad vsq; comam.  
Cum manibus ferro traiectum pectus hiabat:  
Aspiceres bini vulnera sancta pedis.  
Purpura cingebat corpus: sed dextra gerebat  
Tela, quibus regni limina fracta cadant.  
Senserat umbrarum Princeps acerrimus illud:  
Cum iubet in dextras spicula nota capi.  
Et decus affirmat fore, si pro limine pugnent:  
Cum pia sit patriam cura iuuare suam.  
Nec minus ostendit clades, & damna recenset,  
Præsidys fortes ni loca nota tegant.  
Ante triumphales ego currus turpiter ibo,  
Compede vos nexos vincla sequentur, ait.

Exilij neq; finis erit. Quis talia siccis  
Audiat, & possit cernere velle genis?  
Finierat: sonuere nouis assensibus illi  
Regia sulphurei quos tenet alta lacus.  
Quaeq; requiruntur ponunt, armisq; resistunt,  
Pro patria credunt & sibi dulce mori.  
Cum Deus ingressus per opaca silentia limen  
Vult sibi captiuos in sua iura dari.  
Victor adest, inquit, gelidas iam pandite sedes:  
Iam gelidas sedes pandite, victor adest.  
Nec mora, ceu fœtus Leo quis defendit & Ursus,  
Sic patrias armis turba tuetur opes.  
At catulus veluti positus sub lumine Solis  
Illius haud radios sustinuisse valet:  
Infera sic rabies obuertere nescijt illi  
Spicula cœlesti de Genitore sato.  
Sic vbi causa subest bona militis, illa ministrat  
Robur, & hoc tollit si mala causa subest.  
Ergo Dei Natus pergens ad regna silentum,  
Effregit factas ex Adamante fores.  
Diruit & murum quondam discrimina gentis  
Qui potuit certis significare notis.  
Afflat & æternæ captis spiracula vitæ,  
Littera cum mortis prorsus abacta foret.  
Rector at umbrarum folio munitus auito  
Cinctus & armato milite sceptrum gerit.

Sceptrum



Sceptra sibi triplicis regnum spondentia mundi,  
Sed valida Christi debilitanda manu.  
Nouerat hoc Pluto, miseris Rex additus umbris,  
Cum mouet in Natum regia corda Dei.  
Mox capitur, sentitq; manus: quo nomine gaudet  
Hostis, at inceptum non bene cessit opus.  
Sicut enim melior post fata renascitur ales  
Assyriae quondam qui loca grata colit:  
Haud aliter Christus superata morte redibat  
Fortior, & nostro victor in hoste fuit.  
Arma resistenti rapuit, fregitq; potentes  
Insidiaturas omnibus ante, manus.  
Nactus & exuias statuit de more trophaeum  
Quod gereret dextrae robore capta sua.  
Hortus erat late varijs cultissimus herbis  
Est ubi defunctis praestita blanda quies.  
Mille videbantur Manes, animaeq; piorum  
Ire coronatis per loca sancta comis.  
Membra tegebantur niueo velamine, pulchris  
Serta renidebant, vertice gesta, rosis.  
Omnibus in votis exentum cernere pugnae  
Curaq;, victorem posse videre, fuit.  
Christus ad hos pergit spolijs ditatus & armis,  
Monstrat & ereptas hostibus hostis opes.  
In manibus gestat mortem, fortemq; Tyrannum  
Qui Dominus pridem totius orbis erat.

Quaeq;

Quæq; minabatur querulam damnatio cladem  
Ponè, Dei magno robore victa, gemit.  
Ex humeris nostræ pendebant crimina vitæ,  
Iraq; iudicio concomitata suo.  
Arbor erat iuxtâ sublimis frondibus amplis:  
Nescio si Quercus, sed puto Laurus erat.  
Figit ad hanc Christus varios, quos ceperat, hostes,  
Ne rabies nobis vlla timenda foret.  
Vicimus hîc (inquit) mundum: confidite Manes.  
Pristina nunc vobis est reparata salus.  
Vt morerer Regis regum fuit illa voluntas:  
Vis fera serpentis semine fracta iacet.  
Tunc animæ lætas promunt è pectore voces,  
Iam lætæ finem carceris esse sui.  
Salve festa dies, nos illatura beatis:  
O bona quæ tandem lumina nostra vident?  
Nec mora de victo Christus parat hoste triumphum:  
Clarior hoc toto nullus in orbe fuit.  
Ipse vehebatur curru: cum veste rubebant  
Signa, triumphantis conspicienda manu.  
Ponè sequebantur peccata merentia mortem,  
Carcer & infernus cum Duce vincla gerunt.  
Ipsa sedet niueis Ecclesia vestibus, alto  
In curru Sponsi munere læta sui.  
Victima quod Patris placasset amicior iram,  
De crucis vt ligno triste pependit onus.  
Prostra

Prostratiq̄ iacent, exuti viribus, hostes?  
Angelicus cantu plaudit ouante chorus.  
Et gerit, & monstrat nobis insignia, sancto  
Immeritam Christo quæ peperere necem.  
Illaq̄ nunc homini promittunt munera vitæ,  
Purpureis nuper sed rubuere notis.  
Quiq̄ tenent citharas victori carmine plaudunt,  
Quale vel arguto gutture cantat Olor.  
At niueis animæ decoratæ vestibus ibant:  
Omnibus ornabat florida Ruta comas.  
E quibus extollit vocem primæuus Adamus,  
Euaq̄ serpentis credula capta dolo.  
Thariadæ cingit Nobë latus: huius euntis  
Insequitur Lothus, liber ab igne, vias.  
Amramides comitatur iter: vatesq̄ sequuntur  
Tempora natalis qui cecinere Dei.  
Esaias illos inter victoris habebat  
Munera, qui sancto Numine plenus erat.  
Rex Solymæ tandem longa cum veste Sacerdos  
Cuius erat Christus stemmate natus, adest.  
Circundat diadema comas hoc Principe dignum:  
Gestat inauratam dextera docta lyram.  
Subsequitur, Christum lati Iordanis ad amnem  
Qui lauit, vates maximus inter, aquis.  
Quos Deus inducit cælis, & munera donat,  
Et iubet æterna prosperitate frui.

C

Pro

Pro quibus, Ambrosiæ carpentes fercula, gratè  
Mente Redemptori carmina leta canunt.  
Sit tibi laus almi Soboles sanctissima Patris,  
Pristina quod venit te veniente salus.  
Iam licet affari reserati Numina cæli,  
Aspectuq; Dei colloquioq; capi.  
Nuper at in tenebris luctuq; cohercuit omnes  
Carcer, vbi Serpens hospes & hostis agit.  
Nunc homines, mandante Deo, sperata reuisunt  
Gaudia. Libertas illa paterna redit.  
Sit tibi laus victor tenebrarum, victor & hostis,  
Qui tenuit vinclis corpora capta suis.  
Nos, socij patriæ sedis, cæliq; bonorum,  
Grata resoluemus laudibus ora tuis.  
Sic vbi Romana fuerat victorie genti  
Parta, triumphanti victor ouabat equo.  
Arma ferebantur, priuati viribus, hostis,  
Compede non æqua mole ligante pedes.  
Vxor at in curru iuxtà, natiq; se debant,  
Quos socios tanti fecerat esse boni.  
Currus & argento litè radiabat & auro  
Quattuor à niueis actus, eburnus, equis.  
Taurus & auratis mirandus cornibus ibat,  
Victima qui Diuis grata futurus erat.  
Vulgus iò clamabat, iò gratante sonabat  
Pectore, per letum voce fauente diem.

Vincta

Vincta sequebatur currum victoris ad arcem  
Turba, catenarum quæ tolerabat onus,  
Cana Senatorum Capitolia pompa subibat  
Dijs grates sacris exhibitura suis.  
Templa nouis cumulata rosis, violisq; rubebant:  
Iburis at in tota peruolat æde vapor.  
Templa relinquentis agitant conuiuia læti,  
Donaq; militibus dant preciosa suis.  
Talis erat (magnis componam parua) triumphus  
Scipio siue tuus, siue Camille tuus.  
Maior erat Christus. Sed enim victricibus armis  
Perculit inferni limina quicquid habent.  
Vos hominum cepistis opes, quas tollere tempus  
Labile, vel citius spe breuis hora, potest.  
Cedite nunc Latij victores cedite Gray:  
Est animæ Christo vindice, parata salus.  
Nec veteres solum spectant bona tanta parentes,  
Christus vbi mortis triste subiuit onus:  
Nos quoq; consortes cælorum viuere iussit,  
Et patriæ summas carpere sedis opes.  
Si modò fidamus Christo qui primus & vnus  
Ad sacra cælorum gaudia pandit iter.  
Omnibus est præstò veniam poscentibus: illi  
Cor placet, ac, puro corde profecta, fides.  
Christe, dator vitæ, vetiti pro crimine morsus  
Qui geris humanæ debile carnis onus,

Vulnera qui passus mortis, tectusq; sepulchro  
Debita soluisti funere dona tuo:  
Quiq; subegisti mortem cum carcere nigro  
Impia Serpentis qui simulacra colit,  
Sis bonus, & placido mortalibus annue vultu,  
Quaę potes, nostris tolle pericla locis.  
Effice, cum linquent animæ spiramina corpus,  
Ne mihi sit mortis munus inane tuæ.  
Vt fuerim tibi causa tuæ certissima mortis  
Me supera partem viuere sede velis.  
Dum poterit mea Musa suum spirare calorem  
Musa canet meritum quantulacunq; tuum.  
Interea firma vires augeq; canentis.  
Te sine nil felix te sine forte nihil.

## CROCODILVS ET ICHNEVMON:

De gloriosa Christi à mortuis Resurrectione,  
eiusdemq; ad cælos ascensione.

**E**Cce ferebatur cælo Sol aureus alto  
Ibat & auratis conspiciendus equis,  
Cum varijs adeo depictos floribus hortos,  
Et mentem curis exonerare paro.  
Dum video, carpoq; rosas, & lilia campi,  
Lumine quod vigili specto, volumen erat.

Hic

Hic oculos etiam mirè pictura tenebat  
Intuitum recreans ingeniumq; meum.  
Ponè salutes Crocodilus repit ad herbas  
Ut sua iucundo membra sopore riget.  
Dum rigat Ichneumon se terris implicat omnem,  
Et tenui mergit corpora parua luto.  
Ad radios Solis, præclara luce micantes  
Ad medium siccatur languida membra diem.  
Sic parat in vastas Crocodili repere fauces,  
Implicitus somni dum gravitate iacet.  
Cum putat hunc dulci redimitum corpora somno  
In fauces hostis profilit ille sui.  
Cuius & ingressus rodit feliciter aluum,  
Insolitam membris & necat arte feram.  
Quis mihi res verò poterit vulgare latentes?  
Musa precor. Vati differe vera tuo.  
Cum voluit Christus serpente, ~~serpente~~,  
Induit humani corporis ossa Deus.  
Frigora cum Brumæ properarent mense Decembri,  
Clauderet ac gyro Sol breuiore diem,  
Tunc Deus humano gausus sanguine Christus  
Insilit in fauces hostis & ima sui.  
Dumq; sinit celsa figi trabe membra Redemptor,  
Et nimia saxi corpora mole tegi:  
Hostis at in ligno Christum perijisse putaret  
Perpressum lacero pectore mortis onus,

Cunq̄ triumpharet, socijs plaudentibus Orci,  
Ac chorus insultu letus ouante foret,  
Tunc rediens Christus ventrem corrosit Echidnae,  
Et Stygos euertit robore tecta suo.  
Venit & ad socios reparatis viribus omnes,  
Quos voluit testes mortis habere Deus.  
Non secus ac quondam terra formosior exit  
Flosculus aduentu Veris, & ornat humum.  
Vtq̄ petit celsum strepitantibus aethera pennis  
Reoi, dum sordes negligit o'bis, auis:  
Induit & vetam, Eaco donante, i uentam  
Ardua qua caeli pulchrior astra subit:  
Sic etiam Christus, non tunc mortalis, ad arcem  
Sideream, viuo corpore, tendit iter.  
Vnde suis Numen spirabile misit, & acres  
Sufficiens animos roborata firma dedit.  
Iussit & ponere voces,  
Quos voluit has omnibus esse Pater.  
Christe, Deus, qui passus & iram  
Patris es, ob primi crimina fontis Adae:  
Quiq̄ reliquisti tumulos, caelumq̄ subisti  
Vt socijs vitæ flamina sancta dares,  
Christe veni donaq̄ mihi spiracula Patris,  
Fassus vt hæc grata munera voce canam.  
Nam tua mors nobis meruit primordia vitæ  
Quæ fuit æterno carcere digna tegi.

Quic





Quicquid & eloquij Flatus è munere cedit  
Da precor in laudes id fluat omne tuas,  
Qui, licet exilis nostræ sit gratia venæ  
Vis tamen infantum non minus ore cani.  
Cunq; velis præsens socijs astare ministris  
Dum triplex mundi flamma resoluat opus,  
Dexter ades nobis, mundi ne blanda voluptas  
Nos iubeat Patris linquere iussa tui.  
Utq; iuventutis tollamus crimina nostris  
Sufficit in cordibus  
Da tibi in mundi  
& in viuis agnitione tui.  
tibi, moriarq; tibi: mihi ianua vitæ  
Pallida mors, funus sed mihi fœnus erit.  
Tunc tua regna fide sequar, & spectabo beatos,  
Ambrosia Patris quos alit Aura tui.  
Hec precor  
Lucida  
Cœlicolis mixtus  
Et referam munus Spiritus almi  
Non ego delicias nec, honores quero, nec aurum.  
CHRISTE tui præstat gaudia verus amor.

Muse Honor. t Benè Meritos,  
FINIS.









B.I.G.

Farbkarte #13

ENIX.  
CANVS.  
MPHVS.  
EVMON:

QVÆDAM  
HASLOBII  
A. Carmina.



ARCHIONVM:  
77. edita.

Eichorn d-4]

6